



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

47. An Extrema-Vnctio sit ministranda adulto in periculo mortis statim post  
Baptismum susceptum? Ex part. 5. tr. 3. res. 86. ibid.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

vt sic ait. Pueri, qui sunt capaces confessionis instituendæ, & absolutionis, sunt capaces huius Sacramenti, quia sunt capaces effectus illius, imò licet potest eis conferri, etiam si nondum soliti sint communicare. Vnde Pastores possunt talibus hoc Sacramentum præbere, quia non habet talem cum Eucharistia connexionem, vt hæc necessariò debeat præcedere. Ita ille, & fusè docet hanc sententiam Ioan. Sancius in *select. disp. 27. n. 6.* & alij penes ipsum, quibus adde Nugnum in *3. part. tom. 2. quest. 32. art. 4.* & nouissimè Iacobum Marchantium de *Sacram. lib. 5. de Extr. Vnct. cap. 1. quest. 1.*

2. Notandum est tamen quòd si debetur puerum non habere vsum rationis, esse adhuc sub conditione vngendum, vt ex Sancio & Zambrano docui in *3. part. tract. 4. resol. 169.* & me citato, docet nouissimè Ioannes de Lugo de *Sacram. Euchar. disp. 13. sect. 4. num. 41.*

RESOL. XLVI.

*Virum adulto in articulo mortis recenter baptizato sit illi Sacramentum Extremæ-Vnctionis ministrandū? Et an in tali casu sub conditione administranda sit ei Extrema-Vnctio?* Ex p. 3. r. 4. Ref. 171. alias 172.

Sup. hoc in Ref. 169.

§. 1. **H**ic casus frequenter solet accidere, & negatiuam sententiam docent Nugnus in *3. part. quest. 32. art. 4. conclus. 2.* & Sancius in *selectis, disp. 27. n. 18.* vbi sic asserit. Ego recens baptizato vnctionem ministrandum non consulerem, nisi nouum post Baptismum peccatum admisisse constaret.

2. Sed contrarium ego teneo, & idè anno 1620. testatur ipsemet Sancius, fuisse ministratum Catechumeno Martienli, mancipio Mahumetano periculoso morbo decumbenti, Sacramentum Baptismi Eucharistia, & Extremæ-Vnctionis successiue, & immediatè vnum post aliud. Et ita hanc sententiam docent Zambranus de *casu tempore mortis cap. 5. dub. 3. n. 6.* Ledesma in *summ. tom. 1. de Sacram. Extr. Vnct. cap. 6. conclus. 7.* Vega in *speculo Curati part. 1. c. 13. n. 20.* Naldus in *summa, verb. Extrema-Vnct. num. 9.* Possenijs de *officio Curati cap. 9. num. 4.* Henriquez lib. 3. cap. 11. n. 3. Filliucius tom. 1. tract. 3. cap. 6. n. 108. vbi sic asserit. Peccatum aduale non est materia proxima, vel remota huius Sacramenti, sicut est penitentia. Ergo quamuis non præcesserit, poterunt omnia essentialia adhiberi, atque adèd conferret effectum suum. Confirmatur, quia si quis in graui morbo baptizetur, etiam in fine vitæ, post viaticum debet sumere hoc Sacramentum, etiam si nullum peccatum post Baptismum commiserit. Ita Filliucius, & post illum Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 8. cap. 3. n. 3.* sic asserens. Potest hoc Sacramentum ministrari homini, etiam si nullum peccatum habeat, v. g. ei, qui immediatè antè baptizatus fuit. Sic ille; vide etiam Suarez in *3. part. tom. 3. disp. 42. sect. 2. n. 9.* Lopez in *instr. part. 2. cap. 23.* Syluestrum verb. *Extr. Vnctio, n. 5.* in *3. dictio, Paludanum in 4. disp. 23. q. 3. n. 15.* Richardum in *4. disp. 23. art. 4. q. 4.* & alios.

3. Vnde licet Nugnus vbi supra in *3. part. q. 32. art. 4. conclus. 1.* & alij asserant, in tali casu sub conditione ministrandam esse Extremam-Vnctionem, attamen ego puto cum supradictis Doctoribus absolutè posse ministrari; ex quibus valdè miror, aliquos Parochos baptizare infideles tempore mortis, & tamen illis Sacramentum Extremæ-Vnctionis minimè ministrare.

RESOL. XLVII.

*An Extrema-Vnctio sit ministranda adulto in periculo mortis statim post Baptismum susceptum?* Ex p. 5. tract. 3. Ref. 86.

§. 1. **A**firmatiuam sententiam puto tenendam & practicandam, quam præter Doctores, quos citauit in *3. part. tract. 4. ref. 172.* docet etiam Mol-felijs in *summa, tom. 1. tract. 4. cap. 3. n. 42.* & Ludou. à San Iuan. *quest. vnic. art. 6. de Sacram. Extr. Vnct. dub. 3. concl. 4.* vbi sic asserit. [A todos los adultos se ha de dar este Sacramento, si estan en el articulo de la muerte, aunque esten rezien bautizados; porque aunque à estos se les ayau perdonado todos sus peccados por el bautismo, quanto a la culpa y pena, toda via les quedan las reliquias, y refabios del peccado, que es la torpeza para el bien, y pronteza para el mal.] Et ita hanc opinionem tenet Præpos. in *3. part. quest. vnic. de Sacram. Extr. Vnct. dub. 7. n. 61.* & ratio est, quia hoc Sacramentum habet duplicem proprium & infallibilem effectum; vnus est auxilia, quibus homo potest in illa extrema lucta corroborari; alter est remissio peccati, ita vt hi effectus sint dispensati; & vnus ab altero non dependeat, possitque vnus conferri ei, qui non sit alterum recepturus, quisquis autem est capax alterutrius, est capax Sacramenti: cum ergo is, qui nunquam peccauit, potest tamen peccare, per intrinsecam dispositionem possit recipere auxilia, quibus possit corroborari, potest hoc Sacramentum recipere, ergo, &c. Vide etiam Mercerus in *D. Thom. 3. tract. de Extr. Vnct. disp. 9. sect. 3. n. 2.* Vnde satis remanet fundata nostra sententia, & ideo Parochi, me consulente, ne desistant infidelibus baptizatis in articulo mortis statim Sacramentum Extremæ-Vnctionis ministrare.

Quæ hic est Ref. antecess.

RESOL. XLVIII.

*An mutus, surdus & cæcus à natiuitate sit vngendus Extrema-Vnctione?*

*Et asseritur, deficiente organo alicuius sensus, locum organi esse vngendum, quod etiam fieri debet, quamuis homo tale organum nunquam habuerit, & proinde nunquam exterius per illud peccauerit, quia potuit peccare desiderio actus illius sensus.* Ex part. 5. r. 6. Ref. 11.

§. 1. **R**atio dubitandi præsertim de cæco, esse potest, quia talis nunquam deliquit ex visione oculorum, cum illa carnerit. Sed contrarium dicendum est, & idèd Possenijs de *officio Curati, c. 9. n. 15.* sic ait. In cæco à natiuitate benè vnguntur oculi, quia habuit potentiam, licet non actum peccandi. Idem dicitur in muto & surdo. Ita ille, cui adde Naldus in *summ. verb. Mutus, n. 3.* & verb. *Extr. Vnct. n. 8.* vbi ita asserit: Extrema-Vnctio dari debet à Natiuitate surdis, mutis, & cæcis, prope illa organa sensus illius, quo carent, quia licet exterius per illa organa non peccauerint, peccasse tamen possunt per interiores potentias, quibus illa membra respondent. Hæc Naldus. Vnde Ioann. Præpositus in *3. part. quest. vnic. de Sacram. Extr. Vnct. dub. 8. n. 73.* asseruit, deficientem organo alicuius sensus locum organi esse inungendum, quod etiam fieri debet, quamuis homo tale organum nunquam habuerit, & proinde nunquam exterius per illud peccauerit, quia potuit peccare desiderio actus illius sensus.

Sup. hoc supra in Ref. 11. §. penult. peccatum, & §. ult.

Sup. hoc ibidem, ad medium prædicti §. ult.